

IN EODEM LIBRO CONTINENTUR HÆC
QUÆ SEQUUNTUR SCRIPTA MANU
PROPRIA DOMINI DE PEGNA DECANI
ROTÆ, CONGREGATIONE XXXIII, DIE
JOVIS 7, JUNII 1601.

Die Jovis 7, junii 1601, apud reverendissimum dominum S. Agathæ habita fuit congregatio, ad quam convenerunt omnes consultores super examinanda censura, alia facta in quartam et decimam propositionem Molinæ, et post longam, et exquisitam disceptationem, exceptis regente Carmelitarum, et procuratore generali Sancti Augustini, in censura persistentes, affirmaverunt, et propositionem fuisse a Molina assertam et inventum de scientia media jam a Massiliensibus excogitatum ad extenuandum gratiam effectricem bonæ voluntatis.

Attestor, indubitataque fidem facio ergo Joannes Moter auctoritate apostolica notarius publicus in archivio Romanæ curiæ descriptus, qualiter contentus in quatuor foliis præcedentibus (præter istud, et titulum) subscriptis nomine, et manu meis in fine ultimæ paginæ extracta fuerunt bene, et fideliter ex quodam libro manuscripto, inscripto tituli in principio. Et cuncta contenta in istis quatuor foliis, sunt et leguntur scripta manu, et characterè bonæ memoriæ quondam Francisci Pegna auditoris sacræ, Romanæ rotæ pro corona Aragonum, et ejusdem rotæ decani, cujus manum, et litteram vigore juramenti in manibus meis præstiti recognoverunt in forma illustrissimus dominus Odoardus Pinto i. v. doctor civitatis Eborensis, et in hac Romana curia advocatus; et admodum reverendus dominus Alexander Marlianus canonicus Ecclesiæ collegiatæ Sanctæ Mariæ in via lata

familiaris, et vulgo Ayudante de estudio ejusdem auditoris, qui etiam asseruit vidisse illum scribentem in dicto libro propter continuam frequentiam quam habebat cum sua reverendissima dominatione, et in illius decretis. In quorum fidem hic me subscripsi, et meum quotor in claudendis instrumentis signum apposui. Romæ hac die 9 junii, anni Domini 1606.

Jacobus Moter auctoritate apostolica notarius publicus in archivio Romanæ curiæ descriptus.

Nota. Nos de hac censura nihil affirmamus; solum quid in illa congregatione actum sit referimus, tunc enim sic poterant loqui censes illi, tum quia nulla erat adhuc censurandi prohibitio; tum quia disputationes illæ ad determinandum rem hanc per censuram Sedis Apostolicæ ordinabantur.

VII. Sic se habet testimonium illius congregationis extractum e libro illo domini auditoris Pegna, ex quo liquet qualis fuerit mens, et judicium illorum censorum circa scientiam mediam, et inde valde confirmatur quidquid circa eamdem hucusque resolvimus, et quomodo non potest defendi, quod hæc scientia fuerit tradita ab Augustino vel in ejus latebris occulta, cum in disputatione jussu Ecclesiæ ventilata, et discussa circa mentem Augustini in hac parte oppositum pronuntietur, licet non sub ultima censura, et definitione quæ expectabatur a summo pontifice et interim prohibetur a nobis dari, sed tamen qualiter per disputationes jussu ipsius factas fuerit disposita via ad determinationem faciendam ex his intelligi potest, quæ ipsi consultores censuerunt in prædicta congregatione. Et consultores hi non fuerunt ex alterutra familia societatis, vel Dominicana, ipsi enim erant quasi partes formales in hac lite, et ita so-

lum præbuerunt magistros virosque doctissimos qui coram summo pontifice in illis quadraginta septem congregationibus disputarunt ab anno 1602, in tertia septimana quadragesimæ, in qua incæpit prima congregatio coram summo pontifice Clemente VIII, usque ad annum 1606. Die 22 februarii, quo habita est ultima congregatio coram Paulo V, tanto enim tempore, et intervallo summa maturitate, et deliberatione fuit res ista tractata coram tali consensu totius orbis gravissimo, et sine dubio grande pondus in hac parte facit eorum auctoritas. Fuerunt autem hi in primis duo cardinales assistentes Domino papæ, videlicet cardinalis Burgheisius (postea Paulus V), et cardinalis Aragonius. A sexta autem congregatione introducti fuerunt omnes cardinales sanctæ generalis inquisitionis, videlicet cardinalis Pinellus, Asculanus, Sanctæ Cæciliæ, Burghesius, Arigonius, et de Avila. Censores autem theologi fuerunt archiepiscopus Armacanus, episcopus de Nardo, episcopus de S. Agatha Franciscanus, episcopus de Monte peloso Servita, episcopus Aquileiensis, fr. Joannes de Rada, procurator generalis ordinis S. Francisci, postea archiepiscopus Tranensis, fr. Anselmus de Monopoli, procurator generalis Capuccinorum, postea s. r. e. cardinalis, fr. Pionbino, procurator generalis S. Augustini, regens de Traspontina Carmelitanus, fr. Planterius ordinis S. Francisci, postea electus episcopus, fr. Gregorius Nugno ordinis S. Augustini, prior S. Pauli ordinis S. Benedicti, Ludovicus de Creyl, doctor Sorbonicus, Dominus Libusu, doctor Sorbonicus. Hi omnes huic gravissimo negotio adhibiti sunt consultores, et iudices, quos nec passione, aut sinistro affectu motos suspicari licet, nec in hac parte consuluisse, aut judicas-

se nisi pro veritate, et pro sola gloria Dei, et Ecclesiæ exaltatione.

VIII. De ipsorum autem consultorum judicio in congregationibus coram summo pontifice attestatur idem decanus rotæ Pegna firmiter permansisse in sententia de rejicienda scientia media, ut ex alio testimonio firmato per eundem notarium Jacobum Moter 10 januarii 1637, nos ipsis oculatim videmus. Sane si adversarii sensissent pro eorum parte qualitercumque stare, nullatenus manifestare negligerent omnibus rem suæ opinioni ita favorabilem, cum etiam ex aliis minutioribus, et parvi momenti argumentis grandem aliqui ponderationem faciant, sicut quod refert p. Alarcon, tr. III de scientia Dei, agens contra decreta quibus nos dicimus Deum futura conditionata cognoscere, dicit quod a suis fuerunt appellata impossibilia, minus apta contraria Scripturæ, futilia etc. in disputationibus habitis coram summis pontificibus, quod utique sic fecit p. Vastida in congregatione xxxv, sed non refert ille auctor quomodo ei fuerit responsum a p. magistro Lemos in eadem congregatione, ita enim diluit has objectiones ibi adductas (quæ sunt ipsæ fere a nobis superius adductæ, et solutæ) ut Vastidæ paranti iterum ad eas respondere dixerit summus pontifex: « Quid modo vis dicere pater? » Et cum permisisset breviter dicere, nec aliquid afferret, quod esset magni momenti, et Lemos se ad dicta remitteret, et in summa repeteret ea quæ dixerat, juxta mandatum pontificis, soluta fuit congregatio, et ibi finitæ fuerunt disputatione de scientia media. Tum etiam hoc idem non leviter confirmatur ex eo, quod in xxxix congregatione habita coram Paulo V publice ipse Vastida (ut refertur in eadem congregatione) in præsentia pontifi-

cis, dicebat inter alia multa (verba sunt in eodem libro congregationum scripta), se scire accedere ad disputandum coram censoribus jam determinatis ad unam partem contra eorum sententiam, quia jam sic decreverant, imo dicebat se disputare de re, quæ jam determinata dicebatur, aut publicabatur. Et cum multo tempore in his, et similibus immoraretur, summus pontifex graviter illum reprehendit, et ad dubium respondere præcepit. Ex quibus manifeste deducitur saltem tamquam ex fama, aut rumore communi evulgatum tunc fuisse, illorum consultorum sententiam pro nostra parte stare, non autem scientiæ mediæ favere. Et sic ea, quæ in cursu theologico Carmelitano citato loco sapientissimi patres dixerunt, firmum, ac stabile reputari debet, nec aliquid est unde possit infringi, nisi forte, quia non ita in particulari ea retulerunt quæ hic ex testimoniis allatis, ut res ista non sub caligine perpetuo jaceret, declaravimus.

AUCTORES PLURES HUIUS TEMPORIS
SCIENTIAM MEDIAM REJICIUNT.

IX. Hoc etiam diligenter præstiterunt citato loco theologi Carmelitani, et quam falso ab aliquibus jactaretur, vix esse præter Dominicanos, qui scientiam mediæ rejicerent, apertissime demonstrarunt. Et certe præter tot, ac tales viros, qui in censores hujus gravissimæ disputationis a Sede Apostolica delecti sunt quorum nullus inter theologos ibi nominatos fuit ex ordine Prædicatorum, plures alios scientiam istam mediæ rejicere constantissimum est. Igitur præter Thomistas ex ordine Prædicatorum, qui unanimiter docent rejiciendam esse scientiam mediæ, eam etiam reji-

ciunt totis viribus cursus theologicus Carmelitanus tract. III de scientia Dei, disp. X, et totus ordo exaltati Carmeli; m. Corneio ex ordine Carmelitarum insignis in universitate Salmantia, theologiæ professor in commentariis ad p. I, q. XIV, a. XIII; m. Cabrera, in commentariis ad III p. q. I, a. III disp. §. XXII, et q. XVIII, a. II, sequunturque communiter lectores, et magistri ordinis D. Hieronymi, præsertim in regali academia Escuriaca, m. Zumel super hunc art. XIII, disp. VIII, et in tom. II, opusc. a disp. I, et Machin super hunc art. XIII, hujus quæstionis XIV, et communiter totus ordo B. Mariæ de Mercede. Item communiter totus ordo Clericorum minorum regularium in publicis disputationibus, et lectionibus, ut nos etiam oculati testes sumus in hac Complutensi academia. Secuti sunt eandem sententiam doctores Lovanienses qui unanimi consensu in decreto suo de hac re scientiam mediæ negarunt, ut notat Alvarez libro responsionum, capite primo. Nec potest opponi id quod Vastida dixit in congregatione XXVI, cum pro nostra sententia Lovaniensium doctorum judicium adduceretur, se mirari quomodo in conspectu sanctitatis suæ adducebantur in hac materia doctores Lovanienses, cum a Sancta Sede illis in hac parte fuerit impositum silentium quia injuste in hac materia accusabant patres societatis de quibusdam propositionibus doctrinæ sacræ. Cui in eadem congregatione sic responsum fuit coram summo pontifice a m. fr. Thoma de Lemos: « Quod dicitis per hanc Sanctam Sedem fuisse impositum silentium lectoribus Lovaniensibus in hac materia, quia vos injuste accusabant, non ita procedit; nam breve felicis recordationis Sixti V utrique parti, et vobis, et Lovaniensibus imponit super re hoc si-

lentium, donec res illa fuerit per hanc Sanctam Sedem determinata.» Tunc dixit Vastida: « Vidisti tu breve? Cui f. Thomas: Vidi et revidi, et solum hoc continet. Tunc Vastida: » Si nobis non imponeretur aliquid injuste a Lovaniensibus, non id præciperet sancta hæc Sedes. Cui fr. Thomas: Justis de causis, tunc utrasque partes voluit tacere pontifex summus, usque dum res ista a Sancta Sede determinaretur, et jam, nunc tempus est ut determinetur. Quod si patres viderunt hoc breve Sixti V, quare non viderunt aliud Sixti IV, datum ante annos centum contra quemdam Petrum de Ruio doctorem, in quo istam propositionem condemnat, præsupposita aliqua suppositione antecedente, ex qua infallibile est hominem operari, tollitur liberum hominis arbitrium, quam definitionem referunt doctores Lovanienses, et ego ante annos duos feci maximam diligentiam ad inveniendam illam in hac alma Urbe, nec tamen invenitur, cum omnia acta illius causæ plane inveniantur. Tunc pater Vastida dixit, diffiniri ibi de futuris contingentibus, non autem damnari sententiam, quæ dicit suppositionem antecedentem lædere libertatem, quia ista est sententia S. Anselmi, et S. Thomas dicit quod necessitas ex priori tollit libertatem. Cui fr. Thomas: Nunquam tale dixit S. Anselmus, nec S. Thomas ut suo loco dicitur. » Et vere ita est, nam Anselmus solum dicit necessitatem antecedentem tollere libertatem, non suppositionem quantumque antecedentem. Ita ergo se habet res de doctoribus Lovaniensibus, quorum judicium, gravissimum huic materiæ addit pondus, quia magnam sibi promeruit toto terrarum orbe auctoritatem celeberrima illa academia, quæ nobis quoque primum theologiæ lac olim instillavit.

X. Præter hos tales ac tantos viros sequuntur alii non inferioris notæ, qui mediæ scientiam expugnant Leonardus Coquens doctor Parisiensis ad libros de civitate S. Augustini impressos Lutetiæ 1613, ibi lib. XII, c. IX, tractatu de prædestinatione Angelorum; Hieronymus Rua, tom. II controversiarum theologicarum, controv. VII, in II parte, illius dubio II; Gasparus Ramez, tractatu de divinis præmotionibus, relect. II et III; Verdu, in speciali controversia de hac materia; Villegas primarius Complutensis, libro controversiarum, controv. III, disp. II, cap. II, et disp. IV, cap. I, II et III. Referunt etiam theologi Carmelitani ubi supra dubio VIII, §. I; magistrum Cursel, in commentariis ad quæstionem XI tertiæ partis expunxisse scientiam mediæ quam prius in controversiis defenderat; idemque fecisse magistrum. Basilium Ponze de Leon, celeberrimum universitatis Salmantinæ in theologia primum. Præter hoc, sæpissime, et frequenter in diversis religionum sacrarum familiis, atque etiam in ipsis scholis universitatis Complutensis in solemnibus disputationibus defendi hanc sententiam negantem scientiam mediæ nos ipsi videmus, et testes sumus. Omitto antiquos doctores quorum licet plures afferant Villegas, citatus Alvarez, et theologi Carmelitani, tamen quia non ita ex professo controversiam hanc de scientia mediæ disputarunt, illos omittimus, et ad prædictos auctores remittimus. Quam pauci vero sint tam ex antiquis quam recentioribus (extra auctores societatis) qui in speciali, et expresse doceant ante omne decretum, Deum cognoscere hæc futura conditionata, esto illa sciri a Deo negent, bene advertunt, et ostendunt theologi Carmelitani citato loco, §. II, et in auctoribus facile est videre, ut proinde

advertat prudens lector non facile esse credendum, cum citentur hi auctores, ipsos sentire Deum non solum scire hæc futura (quod multi docent, et nos non negamus) sed etiam ante omne decretum ea scire, in quo est punctus controversiæ.

ARTICULUS VII.

Concordia nostri liberi arbitrii cum præscientia Dei contra hæreticos.

I. Antiqua hæc difficultas, quæ totam hanc materiam de gratia, et scientia, et prædestinatione movit, et in concordando infallibilitatem, efficaciamque illorum cum fallibilitate, et contingentia nostri liberi arbitrii. Et reducitur vis illius ad hanc unam consequentiam: Scientia Dei est intrinsece infallibilis, eodem modo prædestinatio ejus, et gratia, ita quod hanc infallibilitatem et efficaciam non ex creatura habet, aut ex aliquo præsupposito creato, sed ex se, et ex eo quod divinum est: ergo voluntas creata in cujus manu non est talis scientia, voluntas, et gratia non potest manere libera, quia non potest resistere tali efficaciæ, et infallibilitati: *Voluntati enim ejus quis resistit*, ad Romanos IX.

II. In hac consequentia solvenda, et concilianda fallibilitate nostræ voluntatis cum infallibilitate divina et causalitate ejus, contrariis viis processerunt hæretici, et catholici. Nam hæretici non distinguentes inter necessitatem consequentiæ, et consequentis, inter necessitatem ex suppositione, et simpliciter conveniunt in hoc principio quod hoc ipso quod divina præscientia, et decretum efficax est, et infallibile antecederet et ut causa humanæ libertatis tollit illam, et sic quod non stat

infallibilitas divinæ voluntatis inferens, et causans actum nostrum, et quod remaneat voluntas nostra libera. Ex hoc principio duo errores extremi processerunt, circa istam concordiam nostræ fallibilitatis, et libertatis cum infallibilitate divina. Nam Pelagiani sub hac propositione, quod infallibilitas divinæ gratiæ seu decreti prævenientis humanas voluntates, destruit libertatem, subsumebant minorem, sed libertas tolli non debet, quod est de fide, ergo efficacia gratiæ tolli debet, neque est necessaria gratia ad actiones humanas. At vero Calvinistæ Lutherani Wiclephistæ et similes sub eadem propositione quod infallibilitas divina non stat cum fallibilitate nostra, subsumunt, sed efficacia gratiæ, et motio ipsius tolli non debet, ergo libertas nostra tollitur, et sic Deus movendo nos antecederet, nos necessitat, et consequenter non manet peccatum, quia hoc petit rationem voluntarii, et liberi, sed æque erit opus Dei conversio Pauli, et proditio Judæ; nec oportet distinguere inter formale malitiæ, et materiale entitatis in peccato, quia non datur formale malitiæ, ubi cessat peccatum. Itaque in illa consequentia Pelagiani negant antecederet, id est, quod decretum Dei, et gratia sit infallibilis ab intrinseco et antecederet. Calvinistæ vero concedunt antecederet, et concedunt etiam consequentiam, scilicet quod destruitur humana libertas per infallibilitatem decreti.

III. At vero catholici inter istos errores procedunt media via concedendo antecederet et negando consequentiam, quia licet detur infallibilitas ex parte Dei tam in præscientia quam voluntate, potest conservari libertas ex parte nostra. Sed dividuntur, nam Thomistæ dicunt quod etiamsi gratia Dei, et prædestinatio ejus sint ab intrinseco, et antecederet infal-

libilia, non tamen destruunt libertatem nostram, neque inferunt necessitatem in consequenti, scilicet quod non detur libertas, sed inferunt libertatem per infallibilitatem, et necessariam consequentiam eo quod divina voluntas, et præscientia sunt causa non solum ipsius actus nostri in substantia sua, sed etiam contingentia, et libertatis ejus. Unde redditur infallibile, non quod fiet actus quomodocumque, sed quod fiet contingenter, et libere, et hoc totum, scilicet actum et modum ejus qui est libertas, causat Deus infallibiliter, ut dicit S. Thomas III contra gent. c. xciv. At vero qui defendunt scientiam mediam non ita absolute admittunt illud antecederet, scilicet quod gratia Dei et decretum infallibilitatem habent, sed distinguunt illud habet infallibilitatem causalitatis ab intrinseco, et ex natura sua antecederet ad omnem libertatem nostram prævisam, nego; habet infallibilitatem præscientiæ, scilicet et præsupposita determinatione voluntatis nostræ prævisa ante omne decretum voluntatis suæ, concedo, et ad hoc ponitur scientia media, sine qua infallibilitas in gratia secundum ipsos non habetur, et ideo ipsa est fundamentum omnium eorum, quæ dicunt circa efficaciam gratiæ, et decreti divini.

IV. Et quia maxime moventur circa hoc isti auctores, quia putant esse valde affine errori Calvini dicere, quod Deus decreto suo antecedenti ad omnem actum nostrum nos movet, et efficaciam habet in voluntatem nostram, ideo oportet specialiter explicare sensum Calvini et quantum ab eo distet sententia nostra, minus autem ei repugnet opposita. Nam etiam hoc fuit objectum contra nostram sententiam in disputationibus coram summo pontifice, et responsum est explicando

sensum Calvini præsertim in congregatione xxxviii, sicut in xxxvii explicatum fuit quomodo minus repugnet sententiæ Calvini opposita sententia, quæ constituit scientiam mediam.

V. Igitur cum nobis objiceretur in congregatione xxxviii, quod cum Calvino convenit qui dicit dari necessitatem antecedentem divinæ voluntatis efficacem quia necesse est, quod illa posita tollatur arbitrii libertas, ad quod quædam Calvini loca lecta sunt. Et ex hoc deducebatur quod qui hanc necessitatem constituebant, consequenter dicebant Deum prædeterminare ad materiale peccati, quæ etiam erat Calvini damnata sententia. Ad hoc fuit responsum pro parte Thomistarum sic, et coram pontifice explicatus sensus Calvini, videlicet non errasse Calvinum, quia gratiam Dei efficacem constituit, et necessitatem illam consequentiæ, sed quia male illam constituit asserendo tolli libertatem. Erravit etiam quia gratiam sufficientem negavit. Erravit etiam quia dixit nullam dari gratiam excitantem, seu moraliter attrahentem, sed solum vi physica moventem sicut bruta moventur, et sicut equus movetur a sessore, hoc enim exemplo Calvinus utitur. Negavit autem Calvinus illam distinctionem de necessitate consequentis tollentis libertatem, et de necessitate consequentiæ salvantis libertatem, quia ut Driedo ait semper hæreticus hanc negavit distinctionem, per quam omnia hæreticorum sophismata diluuntur. Quod enim necessitas consequentiæ seu conditionata non lædat libertatem, doctrina sanctorum est, quæ in decretis expresse refertur, et ab omnibus etiam jurisperitis admittitur. Similiter erravit Calvinus, quia dixit Deum ita movere ad malum, sicut ad bonum: cum enim ipse necessitet distin-